

304 *Capitula foederis Barcinonensis inter sanctissimum dominum Nostrum et Caesaream Maiestatem, concernentia illustrem ducem Ferrariae.*

Item actum, conventum et conclusum extitit quod ipsa Caesarea Maiestas ratione ipsius protectionis et defensionis eidem, ut praefertur, ex incumbenti officio iniuncta, ut Sua Sanctitas et Sedes Apostolica, quae de fato privata extitit tum per Venetos tum per ducem Ferrariae corporali et naturali possessione civitatum terrarum et locorum Cerviae, Ravennae, Mutinae, Regii et Ruberiae cum se animo semper civilem possessionem retinuisse et retinere profiteatur, cuius vigore, ut supra dictum extitit, licite naturalem advocando non offensoris sed defensoris partes retinet, in eadem reali et naturali possessione, ut par est, reintegretur et restituatur curabit, et cum effectu efficiet quatenus antea et copis caesareis aut alio convenientiori modo quam primum id fieri valeat, Sanctitas Sua ac Sedes Apostolica pristinam huiusmodi civitatum terrarum et locorum possessionem recuperet, et in ea realiter reintegretur et restituatur, citra tamen praeiudicium iurium Sacri Romani Imperii, quibus eadem Caesarea Maiestas nequaquam derogare intendit nec plus iuris in Romanam Ecclesiam transferre quam ante dictam spoliationem seu occupationem obtineret, et vice versa intra praeiudicium quorumcumque iurium Sedis Apostolicae, quibus Sanctissimus Dominus Noster nullo pacto derogare intendit, nec derogatum esse vult, nec post dictam reintegrationem plus iuris translatum esse intendit in Sacrum Romanorum imperium quam antea obtineret.

Item cum ducatus Ferrariae, tamquam feudum Ecclesiae, ad Apostolicam Sedem iure recti domini pertinere dignoscatur, pretendat quod Sanctissimus Dominus Noster huiusmodi iure merito apud ipsam Romanam Ecclesiam devolutum et apertum utileque dominium consolidatum fuisse cum directo, tum ob felloniam et notoriam rebellionem illustris Alfonsi Estensis ipsius ducatus Ferrariae detentoris tum etiam per sententiam contra ipsum consistitiam, ut Sua Sanctitas pretendit, ex causis legitimis, actum extitit et conventum quod recuperatis, ut praefertur, ac Apostolicae Sedi restitutis civitatibus ac arcibus Cerviae, Ravennae, Regii et Ruberiae, vel ante si commodius id videretur, si Sua

304* Sanctitas executionem sententiae, ut praefertur, latam contra dictum Alfonsum Estensem pro ip-

sus ducatus devolutione et commisso tentare voluerit, et adhibitis prius his remediis quam ad brachium ecclesiasticum pro tali executione expedire videbuntur, censuris videlicet et anathemate contra eundem atque alios huiusmodi executionem impediens seu his auxilium et favorem praestantes hisque non proficientibus, ad brachii saecularis provocationem deveniendum necessario videatur, tunc Caesar, ad id requisitus tamquam ipsius Apostolicae Sedis advocatus et protector filiusque primogenitus eidem Sanctissimo Domino Nostro, pro huiusmodi sententiae executione brachii saecularis imploratione, pro virilibus assistet, donec huiusmodi expeditio ad debitum deducatur effectum, his modis et formis quibus commodius fieri poterit nihique praetermittendo de his quae in ipsius Caesaris facultate, iuxta temporum et rerum qualitates, consistent, donec executio ipsa atque expeditio integre facta fuerit. Pro qua executione et expeditione Sua Sanctitas et Caesarea Maiestas invicem convenient de sumptibus et expensis propterea sustinendis modisque et formis in his adhibendis, prout eisdem expedire videbitur et temporum et negotiorum exiget et requiret.

Postquam facente Deo optimo maximo ac Sanctissimi Domini Nostri Clementis VII pontifici maximi praesidio pro universis christianorum pacis et quietis directione eo devenit extitit, ut percusso prius inter Suam Sanctitatem et Sacratissimum Carolum Quintum electum Romanorum imperatorem ac Hispaniarum et utriusque Siciliae regem catholicum foedere defensivo, in quo inter coetera superscripti duo articuli eundem Sanctissimum Dominum nostrum concernentes ac illustrem ducem Ferrariae de verbo ad verbum inscribuntur, Caesare inde in Italiam ad illius quietem properante, pace inter eum ac serenissimos Gallorum et Anglorum reges confecta, conventuque habito inter Suam Sanctitatem et Caesarem in hac civitate Bononiae, comuni utriusque consilio stabilitis rebus ducatus Mediolani et ipsius Caesaris clementia restituto in eo illustre duce Francisco Maria Sforcia Vicecomite fuerit tandem percussum foedus amplissimum ad comunem Italiae quietem et defensionem tam 305 inter ipsum Sanctissimum Dominum Nostrum et sacratissimum Caesarem serenissimumque Ferdinandum Hungariae regem eius fratrem, quam illustrem et excelsum dominum Venetorum ac dictum illustrem Franciscum Sforciae ducem Mediolani eorumque confoederatos et amicos, qui tamen cuiuspiam ipsorum contrahentium aperti hostes non forent,